Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2745
Quelle:
Copyright:

Historiam propius adtingunt. Ideo singulatim edisserendi. Et *primus* quidem minio inscribitur: *Collatio facta per Archiepiscopum Pragen.* Erat is *Arnestus de Pardubicz Pragensium* primus Archiepiscopus, cum decreto Electionis *Caroli* IV. post comitia *Rentii* 1346. celebrata a Principibus Electoribus splendida legatione *Avenionem* ad *Clementem* VI. missus, ut hic electionem confirmaret. Narrant rem *Odor. Raynaldus Annal. Eccl.* T. XVI. ad *b. a.* p. 238. *Bob. Balbinus de vita Arnesti* L. II. c. 5. p. 115. et audiendus prae ceteris *Benessius Krabice de Weitmil* Archiepiscopi in legatione comes, cujus *Chronici* verba excitat etiam *Th. Joh. Pessina* in *Phosphoro septic. Radio* III. p. 188. ubi vides ipsum *Collationis* s. sermonis nostri thema: *In te* (Papa) *oculi respiciunt tocius Israel ut iudices eis quis sedere debeat in solio*, memorari. At vero *Sermonem* ipsum, *Clementis*que responsum nemo hactenus, quod quidem sciam, in publicum protulit, quanquam ad illustranda *Caroli* IV. Acta certe conferant. Ex priore itaque, dum integer edatur, unum alterumve locum hic decerpendum duxi. Postquam narrasset *Arnestus*, quomodo *Caroli* peracta fuerit electio, ita de illius genere prosequitur: *dominum Johannem digne memorie regem boemie illustrem patrem habuit, auum bone recolende memorie dominum Heinricum Romanorum imperatorem victoriosissimum, qui ex domo clarissimor. comitum Lucenburgen. et ducum brabancie et limburgie, comitum flandrie, banonie kelne — processit; per lineam vero maternam ex serenissima regina bohemie elizabet honestissima domina genitus est, que patrem excellentissimum principem dominum wenzeslaum regem bohemie habuit, cuius pater erat Ottocarus potentissimus bohemorum rex, qui dux austrie Styrie carinthie carnyole — erat, cuius progenitores ex radice et stirpe beatissimi Wenczeslay patris bohemorum quondam ducis et patroni descenderunt* &c. Postquam *Hermenegildi iuvenis regis* imitatorem dixisset, haec de ejus meritis in ecclesiam: *Nouissime bonorabile collegium canonicorum et clericorum secularium in honore omnium sanctorum in castro pragensi construxit, cui copiosissime in bonis, possessionibus — prouidit. In ecclesia uero nostra pragen. ministros quosdam, qui mansionarij sancte marie dicuntur, tam in numero personarum, quam in facultatibus rerum magnifice augmentauit et de nouo dotauit. Et nuper coronam regalem auream mira gemmarum uarietate circumdatam capiti sanctissimi Wenczeslai martiris imponendam valoris plurium milium florenorum — donauit* &c. Demum de militari ejus virtute: *Eo adhuc in tenera etate constituto bellum apud sanctum felicem in Lombardia personaliter interfuit, in quo et militatus est et gloriose triumphans. Precedente vero tempore patriam ab hostibus fortissime protexit. contra sarracenos* (Paganos) *in prussia pugnas strenuissimas et notabiles quam*